

sex drachmas ponderavit, alterumque corculum repræsentavit, commemorat *Schenck. obs. lib. 22.*

REMOTIORES causæ sunt morbi materiales, & humores, è quibus flatuosi ejusmodi vapores & fumi, nunc frigidi, nunc calidi, pro materiæ diversitate resolvuntur, qui postea ad cor delati, ejus facultatem motricem & expultricem stimulare, & ad motum depravatum instituentium compellere possunt. Sic mittunt vapores sanguis & serum copiosius in particularibus cordis vasis effervescentia, ut videre licet in juvene *penes Platerum*, qui in nimio pilæ lusu irâ commotus subito, in cordis palpitationem incidit, mortemque obiit. Pari modo attollitur in vapores retorrida & exusta bilis, cujus copia coaccervari solet, teste *Platero*, in virginibus menstruorum suppressione, ob caloris eventilationem denegatam, laborantibus. Pituita quoque copiosa, vel à mediocri calore, facile suppeditat flatus crudos in cachexia & hydrope Anasacra, nec non in virginum leucophlegmatia, ut habet *Johann Varandens de morb. mulier. c. 1.* Præcipue tamen & quidem promptissime spiritus tetros & nebulosos suggerit humor melancholicus in hypochondriacis, sæpius in liene congestus; hinc splenetici, & qui affectione hypochondriaca & oppilatione hæmorrhoidum laborant, palpitationibus sunt obnoxii. *Aetius & Paulus ex Galeno s. loc. aff. c. 2.* affirmant, palpitationem cordis in ea ætate plerumque fieri, in qua maxima copia gignitur humoris melancholici, videlicet in primo senio supra 40 annum & infra quinquagesimum. Ad quod respiciens *Galenus allegato loco*, omnes ferè circa hoc tempus mori scripsit. Huc pertinent pariter febris chronica, hydrops pulmonis, ulcerum antiquorum sanatio, destillationes è capite, retentio seminis, suppressio sanguinis menstrui, imprimis in prægnantibus, ut tradit *Roder. à Castro lib. 3. sect. 1. c. 13. part. 2. de morb. mulier.* mensium item nimium profluvium, ut observavit *Heurnius lib. de morb. pract. c. 8.* Aliqui addunt & venenum, quod tamen negat *Jacchinus*: Ego, inquiens, omnes naturæ venenorum legens, syncopas quædam facere audivi, cordis palpitationem non audivi.

Dis-